Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31296
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">



Cum homo bone voluntatis tribulatur vel temptatur
a malis cogitacionibus affligitur. tunc deum magis
necessarium sibi intelligit. sine quo nichil boni se
posse deprehendit. Tunc eciam tristatur gemit
et orat pro miseriis quas patitur / Tunc tedet
eum diutius vivere / et morte optat venire.
ut possit dissolui et cum xpo esse. Tunc etiam
bene advertit perfectam securitatem et plenam
pacem in mundo non posse constare.

De Temptacionibus resistendis.

xiij Quamdiu in mundo vivimus. sine tribu
lacione et temptacione esse non possumus
Unde in Job scriptum est. Temptacio est vita hominis
super terram Ideo unusquisque sollicitus
esse deberet circa temptaciones suas. et
vigilare in oracionibus. ne diabolus
locum inveniret decipiendi. qui numquam dor
mitat sed circuit. querens quem devoret.
Nemo tam perfectus et sanctus est. qui non habet
aliquas temptaciones / quia plene eis carere
non possumus / Sunt tamen temptaciones sepe
homini valde utiles. licet moleste sint et graves
quia in illis homo humiliatur. purgatur et
eruditur / Omnes sancti per multas tribula
ciones et temptaciones. transierunt et profe
cerunt Et qui bene temptaciones sustinere
nequiverunt. reprobi facti sunt et defecerunt.
Non est aliquis ordo tam sanctus / nec locus tam